

Problema practicum, an achorum insitio, imitando variolarum insitionem, pro curandis pueritiae morbis rebellibus tuto tentari possit consensu amplissimissenatus ... pro loco ... legitime capessendo / proponit, Ferdinandus Christoph Oetinger ... respondente Samuele Theophilo Gmelin.

Contributors

Gmelin, Samuel Theophil.
Oetinger, Ferdinand Christoph, 1719-1772.

Publication/Creation

Tubingae : Typis Bauhof & Franckii, [1762]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/afs3pj74>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

15
PROBLEMA PRACTICUM,
AN
ACHORUM INSITIO,
MITANDO VARIOLARUM
INSITIONEM,
PRO CURANDIS PUERITIÆ MORBIS RE-
BELLIBUS TUTO TENTARI POSSIT:

CONSENSU AMPLISSIMI SENATUS
ET
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ,
PRO LOCO
IN EIS LEGITIME CAPESSENDO,
PROPONIT,
FERDINANDUS CHRISTOPH.
OETINGER,

MEDICINÆ DOCTOR, HACTENUS PROF. PUBLICUS
EXTRAORDINARIUS, ILLUSTR. STIPEND. DUC. THEOLOG.
QUOD HEIC FLORET ET SEMINARI BEBENHUSANI MEDI-
CUS, CIVITATIS TUBINGENSIS EJUSDEMQUE ET
BEBENHUSANÆ PRÆFECTURÆ PHYSICUS
ORDINARIUS.

RESPONDENTE
SAMUELE THEOPHILO GMELIN,
Med. Cand. Tubingenfi.

Ad Diem XXIX. Martii MDCCLXII.

TUBINGÆ TYPIS BAUHOF - & FRANCKII.

Sam. M. Hegelen

PROBLEMA PRIMUM

AN

GEOMETRICA

LIBER PRIMUS

DE LINEIS

DEFINITIONES

PROPOSITIONES

LEMMA

PROPOSITIONES

PROPOSITIONES

PROPOSITIONES

PROPOSITIONES

PROPOSITIONES

PROPOSITIONES

PROPOSITIONES

PROPOSITIONES

PROPOSITIONES

PROPOSITIONES

PROPOSITIONES



Constans & vulgi & practicorum observatio est, pueros puellasque Achoribus laborantes, ab aliis quam plurimis morbis, hujus ætatis subjecta divexantibus, vivere immunes. Hinc in communi vita sæpius ex ore feminarum elabi audimus votum: Utinam infans laboraret Achoribus! Utinam ipsius caput quocunque artificio ad Achores possemus disponere! Nec desunt Practici, qui idem votum foventes varia emplastra, folia Betæ, vel Sinapismos rasæ capitis regioni imponunt vel caput inficiendum mitrâ ab impuro subjecto infectâ tegi suadent, sed sua spe plurimum frustrati.

II. Sæpius inde miratus sum, neminem adhuc, seculo præsentē, quo medici, qui alias morbis mederi consueverunt, curioso experimentorum stimulo in morbis producendis occupantur, vel morbis, non ut olim medicamentis, morbos curare satagunt, Achorum tentasse insitionem artificialem, cum jam eodem modo variolarum insitionem imitantibus luem vaccarum propagare, imo inoculare scabiem nonnullis placuerit, & feliciter cesserit.

III. Nolui primus esse, qui in experimentum curiosus alieno periculo sapiat, neque tamen indignam judicavi questionem, quæ Problematis instar hac occasione proponeretur, ut circa hanc materiam forte oritura dubia prius in cathedra discutiantur, quam in praxi experimentum instituatur.

IV. Nullo interea occæcatus præjudicio, scrutinium problematis, An insitio Achorum possibilis, tuta, & curandis pueritiæ morbis alias rebellibus par sit? adgrediar, & veritatis studiosus, quæ in utramque partem dicenda videbuntur, ingenuè profiteri conabor.

V. Achores dicuntur illa ulcera superficialia, capitis partem capillatam in infantili & puerili ætate defœdantia, quæ humidis partibus maximam partem aere & calore naturali dissipatis, abeunt in crustas siccas, nullum dolorem, vix pruritus excitantes: quæ ulcera porro neque faciem vel aliam partem simul occupant, neque crustas squamosas ex fundo fere sicco relicto recrudescentes, neque albas, neque ceræ instar flavas formant, nullo alio morbofo symptomate stipata sunt, sed subjecta, quorum capita illis laborant, vegetiora quoad reliquas sanitatis circumstantias relinquunt.

VI. Ulcera scilicet capitis distinguuntur in maligna & benigna; differunt pruritu, siccitate, affectæ cutis capillatæ intumescencia & majore crassitie, fœtore, colore, albo, cinereo, flavo, nigro, quibus distinguuntur species malignæ, accedentibus præsertim pallore faciei, macie, oculis concavis & virium dejectione, cum benignæ species, præterquam quod sint humidæ, careant his semper de malignitate & intrinseca humorum corruptela suspectis symptomatibus.

VII. Cum itaque multum referat distinguere has species, ne, si forte periculum facere alicui placeret, fermentum propagationis per insitionem sumatur ab aliquo subjecto, maligna specie infecto, singulas harum exulcerationum superficialium species nominetenus percurrere expediet.

VIII. Præter Achores superius descriptos §. V. ad benignas species pertinet Crusta lactea, quæ præsertim tribus signis pathognomonicis differt. 1. Quod faciei diversa loca occupet; 2. quod albicet, 3. quod lactantibus solum familiaris sit, nec unquam ad puerilem ætatem duret, indeque ex lactis vel abundantia, vel si minus simplex sit, qualitate, oriatur & ad malignitatis quendam gradum ascendat.

IX. Ad



IX. Ad malignas vero refertur : Tinea , illa ulcerum malignorum capitis species , quæ cutem capillatam , crassitie quadam præternaturali hinc inde distinctam , in profundum & latum depascit , instar tineæ vestes erodentis , foetore comite ; pueros vehementi pruritu vexat , pro gradu malignitatis capillorum radices erodit , fिकासque diversicolores format crustas.

X. Refertur porro Favus , illa ulcerum malignorum capitis species , in qua sub squamis , colore & subpingui tactu ceram flavam æmulantibus , siccioribus inveniuntur pori majores , profunde penetrantes , materiâ melli æmula madentes.

XI. Referuntur huc ulterius Impetiginum species , quæ distinguuntur ab autoribus in Impetiginem Celsi & Plinii. Celsi Impetigo , quæ species Lepræ est & diversos habet gradus inde facile cognoscitur , quod habeat crustas corticibus quernis vel magis vel minus similes , & varia loca corporis simul , rarissime & solum in summo gradu capitis capillatam partem afficiat.

XII. Impetigo Plinii vero ea est species , quam in vernacula adpellamus *den Haarwurm* , ideo quod in locis resideat solum , in quibus provenire solent crines , maxime in mento : est modo siccior modo humidior , format callosas in cute durities , in excoriationes & tandem escharas siccas desinentes , serpit longe lateque , & si confricatur , serum acre paucum manat. Si ipsa hæc species capitis capillatam partem occupet , dicitur , *der Erbgrind* , Scabies hæreditaria capitis.

XIII. Talpam , Porriginem seu Furfurationem , Ophiasin , affectus in cute capillata occurrentes , taceo , cum non facile confundi cum Achoribus possint , simulque dicta sufficiant eruendis veris characteribus , quibus Achores ab aliis malignis & sordidis capitis ulceribus superficialibus distinguuntur , & quos nunc colligere & penitus determinare instituti ratio poscit.

XIV. Achores itaque 1. sunt ulcera superficialia non profunda , nec totam cutis capillatæ internam substantiam subvertentia & foraminibus perforantia.



2. Illi saltem ætatis termino vere congruus sunt morbus, qui circumscribitur a fine lactationis & pueritiæ.

3. Ulcerationes hæ sunt humidiores.

4. In escharas abeunt caloris naturalis & aeris adjutu in superficie siccas, neque albo neque nimis flavo, neque cinereo, nigro, rubro colore suspectas, sed in medium inter album & flavum vergentes.

5. In sola capillata capitis parte resident, nec tamen

6. Capillorum radices erodunt, eorumque defluvium causantur.

7. Nullum dolorem habent comitem, sed lenissime saltem pruriunt.

8. Odore quidem non carent, sed tamen non insignem spargunt foetorem, uti species aliæ, ex specifica corruptione malignæ.

9. In simplicibus Achoribus non pallet facies, oculi non sunt concavi, non emaciatur neque languet corpus, multo minus vel veneræ vel scorbuticæ complicationis signum adparet, sed potius.

10. Viget corpus per omnes functionum tam vitalium quam naturalium & animalium, huic ætati convenientium species.

XV. Hæc est facies ulcerum capitis vere benignorum, quæ nomine Achorum plurimis practicis ab aliis distinguere placuit. Sed uti raro in praxi occurrunt morbi simplices, omnis complicationis expertes, ita etiam Achores hujus indolis § XIV. non tam frequentes sunt, uti illi, qui diversa complicatione corrupti, varie differentes ab hac imagine monstrant qualitates, complicationis testes. Sed quum ad insitionis experimentum requireretur fermentum omnis labis alienæ expert, omnium maxime necessarium erat, simplicis speciei horum ulcerum, veram ex praxi desumptam, limitatam descriptionem determinare.

XVI. Ut autem eo certius de his judicare possimus inquirendum nobis erit in causas, ut diversitate causæ cognita possi-



possimus facilius explicare practice evenientia: his autem præmittimus merito præmittenda.

XVII. Ad omnia rite attendens, quæ in ea ætate §. XIV. 2. Sit subjectorum conditio, facile inveniet, septem præcipua esse morborum hujus ætatis seminia, quæ sunt: 1. Partium laxitas, infirmitas, imperfectio: 2. Humorū abundantia ad incrementum necessaria: 3. Circulus citatior incremento totius famulans. 4. Incrementi totius sequelæ. 5. Evolutio partium adhuc imperfectarum, & inde dependens directio particularis humorum versus locum evolutionis: 6. digestionis vegetæ necessitas: 7. teneritas partium indeque sequens sensibilitas major.

XVIII. Nostrum quidem non est, omnium morborum infantia & pueritia theoriā completam exponere; cum autem verum sit, nullum hujus ætatis morbum ex uno solo seminiū §. XVII. oriri, sed plurimum aliqua concurrere, cum porro non solum in causas Achorum solas, sed etiam in nexum cum aliis hujus ætatis morbis, pro solvendo problemate inquirere debeamus, necesse erit de omnibus §. XVII. quantum scilicet nostra refert, rationem reddere.

XIX. Partium laxitas, infirmitas, imperfectio, plenum dat occasionem locum, ut facillime exoriantur decubitus, stases, stagnationes, inundationes.

XX. Humorū abundantia non solum his ipsis vitiis §. XIX. eorumque frequentiori ortui favet, sed orta quoque pro sublato æquilibrīi ratione alit & rebellia reddere potest.

XXI. Circulus citatior 1. supponit cordis vim vegetam: hæc cum crescat pro resistantiæ gradu, motibus augendis, etiam levissimo impedimento existente, favet, stases & impedimenta urget, hinc stasim simplicem facile in inflammatoriam mutat: 2. pro circuli augmento augentur in statu respectivo sano, se & excretiones, auctis se & excretionibus, subjecta semper exposita sunt periculo, has impediendi, supprimendi.

XXII. Incrementi ipsius sequelæ §. XVII. 4. sunt se & excretiones auctæ: sub circulo ad nutritionem partium, inter alia,



alia necessario, resolvuntur partes sanguinis, hinc appositis pro incremento partium aptis sub circulo particulis, consumptis nobilioribus ad exercitia functionum, remanent vappidiores, recrementitiæ, resolutæ, variæ indolis, quæ suam expectant eliminationem, & in hac ætate §. XIV. 2. pro incrementi naturalis perfecti & aucti progressus ratione, etiam progressus liber excretionum augeri debet necessario, vel hoc impedito, indubius erit vitiorum plurimorum §. XIX. ortus.

XXIII. Evolutio partium adhuc imperfectarum, §. XVII. 5. est quidem nutritionis & incrementi actus, attamen non sola appositione particularum, circuli regularis beneficio impetrandus, sed varie pro diversitate evolutionis diversus & fere semper humorum directionem particularem versus locum evolutionis majorem præsupponens. Hæc directio versus locum evolutionis, cum maximum sit semini ex ætate petendi fundamentum, requirit omnem attentionem & succinctam sui in hac tractatione explicationem,

XXIV. In neonato infante observamus, omnia organa & partes adesse, structura cujusque destinationi apta distinctas, sed non ad perfectionem illam elaboratas, ut omni functioni exquisitè exercendæ statim a partu inservire possint. Adest cerebrum, sed ejus imperfectionem merito colligimus ex neonatorum imperfectionibus quoad sensus, tam externos quam internos: adsunt oculi, sed ad visum distinctum adhuc dum inepti: uti nec unum capitis ossum præsto est perfectum: Sed neque auditus ossa eam, quam poscit usus, adeptæ sunt perfectionem: adsunt gingivæ cum alveolis gelatina repletis, sed dentibus sensim prodeuntibus demum perficiendæ adsunt quidem organa digestionis, sed ita tenera, ut saltem mollissimis cibis digerendis sint paria: Ossa, muscoli, nervi adsunt, sed mollia, tenerioris structuræ, debiles: adsunt organa generationis, sed plane quoad formam nullatenus usui idonea.

XXV. Hæc considerantes animadvertimus, primis infantia annis fere omnes partes pari quidem passu majorem sensum incre



incremento & usu adipisci perfectionem, interim tamen, uti jam in utero omnium primo maximam perfectionem & robur adeptum est cor, uti in annis juventutis evolvi demum scimus organorum generationis ad usum perfectionem, ita in periodo, de qua loquimur §. XIV. 2. caput et contenta, plurimis nominibus adhuc imperfecta, observamus perfici, evolvi, solidescere & ratione nutritionis, incrementi, roboris & ad functiones perfectionis, varias oriri irritationes, appositiones, consolidationes, quæ vel majorem requirunt, vel admittunt, vel irritamento inevitabili augent affluxum humorum particulariter ad caput dirigendum.

XXVI. In pueritiæ annos itaque ingredimur, humorum affluxu ex adductis causis §. XXV. determinata jam consuetudinis vi caput petente, & tantum abest, ut cessent rationes hunc affluxum desiderantes, ut potius novæ accedant. Eo scilicet gradu, quo organa sensuum perfectiora evadunt, exercitium sensuum externorum & internorum incipit, pergit magis magisque augeri, coli, exstimulari, urgeri, ita ut puerili ætati, qua cerebrum memoriæ præsertim exercitio fatigatur & judicium sensim intenditur, quotidianæ novæ irritationes ad humores eo dirigendos quasi sint propriæ. Uti scilicet ab incunabulis quotidie major ad caput requirebatur affluxus quam ad alias partes, ad organorum ipsorum imperfectiorum perfectiorem evolutionem & incrementum, ita usu organorum incipiente & denique indies magis culto, ducta fluidi nervei secretio omnino poscit humorum copiam, hujusque directionem specialem versus caput, circuli legibus quidem per longum tempus contrariam visam, sed denique practicorum observationibus certissime evictam, motus toxici adjutu possibilem, ex ejusque legibus pulchre explicabilem.

XXVII. His expositis intelligimus, cur huic ætati maxima sit morborum frequentia: qui caput imprimis infestant, & in hoc ejusque confiniis fixam sedem suam & domicilium habent, ut loquar verbis Illustr. Fr. HOFFMANNI Med. rat. yst. T. II. p. 334.



XXVIII. Maxima inquam frequentia ! esset enim contra experientiam, si huic ætatis periodo denegaremus frequentiam morborum primarum viarum, eorumque vel ex his ortorum vel cum his connexorum. Præterea enim quod potentiarum nocentium, huic ætati propriarum, ad seminia §. XVII. non pertinentium, cumulo suum concedere debeamus effectum, semper pedissequum : e. gr. voracitati, delicatiori molliori alimenti generi, postea victus mutationi & ad varia insueta transitui, &c. inter seminia jam posui §. XVII. 6. digestionis vegetæ necessitatem, quam supponit incremento totius veloci necessaria abundantia, ad nostros respectus §. XVIII. inde faciens, quod viam pandat nascendis cruditatibus, cacochyliæ, cacochymix, stases, impuritates varie & specificè determinantibus.

XXIX. Sed neque hujus generis ad stimulos inde §. XXVIII. provenientes frequens occasio, neque irritamenta ex affluxu humorum particulari, §. XXIII. XXV. XXVI. vel excretionibus impeditis, §. XXI. XXII. neque impedimenta circuli. §. XXI. vel ipsius abundantix. §. XX. exhauriunt ad morbos motuum, v. g. convulsiones, proclivitatem huic ætati plane peculiarem. Accedit itaque jure meritoque ipsarum partium teneriorum sensibilitas §. XVII. 7. quam exquisitissima. Hæc enim sola, etiam levem stimulum, duplo, quadruplo, centuplo majorem reddit illo, qui in majori ætate, revera centuplo major existens, vel nerveas vel musculares fibras feriens nullas convulsiones produceret.

XXX. At & hæc huic ætati propria seminia non omnem exhauriunt morborum infantix & pueritiæ differentiam. Homines sunt infantes & pueri. Ideo non sola seminia ætatis ratione existentia, sed & illa, quæ ipsis cum omnibus hominibus communia sunt, considerari merentur: Temperamentum hæreditaria dispositio, consuetudo, structura corporis, mixtio humorum.

XXXI. His prælibatis ad explicandam differentiam & Aetiologiam Achorum properamus. Adest humorum major ac caput directio in omnibus subjectis hujus ætatis. §. xxv.
xxvi



xxVI. sub evolutione, incremento, usu partium capitis, consumuntur nobiliores partes, vappidiore, resolutæ sub motu sanguinis, requirunt se & excretionem auctas §, XXII. nunc humorum versus caput directio specialis, ope motus tonici §. xxVI, in remotis partibus stricti, fieri debet, (per leges mechanicas,) hæc motus tonici actio vero simul impedit excretionis liberum progressum in illis partibus remotis, in quibus stringitur tonus, (per naturam rei,) hinc excretio in parte relaxationis & affluxus aucti, (in statu respectivæ sanitatis,) debet esse duplo, triplo major, & quod ulterius considerandum, non omnes excretionum & secretionum viæ in infantibus sunt evolutæ, (per principia anatomica,) hinc imperviis functioni idoneis organis aucta debet esse se & excretio, inde infantes majorem salivæ, mucinarium, experiuntur se & excretionem, magis transpirant per poros capitis, plus axungia in auribus habent, oculos habent humidiores, illisque capilli vegetius crescunt.

XXXII. Fac autem subjectum esse temperamenti humidioris phlegmatici, & excretionem non sufficere humiditatum cumulo consumendo: aut subjectum esse sanguinis spissi, vel ex temperamenti melancholici superpondio vel ex diætæ lautæ & otiosæ accessu, & hunc spissum sanguinem impedire excretionum liberum progressum. Fac sub ipsis diversis evolutionibus, §. xxIII. xxIV. affluxu nimium aucto, §. xxV. circulo citatiore §. xxI, in subjectis tam sensibilibus, §. xxIX. fieri irritationem, ex hac spasmodicas stricturas, quibus impediuntur necesse est excretionem pro æquilibrii rationibus requisitæ. Fac accedere diætæ errorem, aeris subitanea mutatione quovis modo commissum, & inde capitis impediri transpirationem, vel morbose supprimi per omnem corporis peripheriam, inde affluxum versus caput præter naturaliter augeri, ut omnes circa locum affluxus apertæ excretionum viæ impares sint excernendæ copiae humorum allidentium & supplendis reliquæ excretionis universalis impeditæ defectibus. Fac infantis matrem esse ita negligentem, ita ab omni munditie alienam & sordidam, ut, squalore & inquinamenti quotidie in

B 2

capite



capite infantis ex copiosa expiratione se accumulantes, pori obstruantur, ulteriorque perspirabilitas impediatur. Quid inde aliud orietur, quam circa excretionis vias stases, stagnationes, inundationes, decubitus? laxitate partium præsentis §. XIX. his præsertim favente.

XXXIII. Si talis decubitus, stasis, stagnatio, inundatio fiet (*a*) in glandulis, salivæ se & excretionis organis, orientur parotides, glandularum colli tumores. Si fiet (*b*) in oculorum tunicis, glandulis, vasculis, orientur oculorum varii affectus. Si fiet (*c*) in tunica mucosa Schneideri, orientur coryza catarrhosique affectus, iique eo graviores, quo minus evoluta est ejus ad functionem exercendam absoluta perfectio. Si (*d*) in aurium partibus, aurium affectus; Si (*e*) in cutis glandulis aliisque loculis, cutaneæ impuritates ejusdem loci, particularisque scabiei species.

XXXIV. Inde itaque intelligimus, horum affectuum facilem ortum primum, nexumque intimum. Intelligimus simul; cur non omnes infantes ægrotent, cum tamen in omnibus affluxus versus caput major existat. Intelligimus determinationem morbi cujusvis, §. XXXIII. ex iisdem seminibus & potentiis nocentibus orituri, mere pendere a casu, concursu feminiorum & potentiarum vario, varie & mechanice primam humorum directionem definiente, cogente. Sed cum problematis solutio poscat Achorum præcipue sufficientem analysin, dictarum modo impuritatum capitis §. XXXIII. e. species & differentias secundum suas causas exquisitius nunc exponere debemus.

XXXV. Differunt impuritates in capite infantum observandæ primo ratione loci & temporis: Ubi scilicet una species in fugientium capitibus, modo hic modo ibi diversis locis erumpit, modo in parte nuda, modo in parte capillata, modo in ambabus: altera vero finibus cutis capillatæ semper circumscribitur & ablactatis solum communis est.

XXXVI. Prior cum observetur saltem in lactantibus §. VIII. (loquor de speciebus benignis simplicibus,) & cum periodo



periodo lactationis cesset sponte, concurrens illud seminium, quod positus prioribus §. XVIII. hanc speciem producit, quæ lactumen, Crusta lactea salutatur, merito quæritur in lactiniorum abundantia & conditionibus.

XXXVII. De hac non habeo quod ulterius moneam cum fere eadem de illa valeant quæ de Achoribus dicuntur ratione differentia & signorum benignam indolem determinantium, neque mihi sermo sit de morbis aliis, quam qui a fine lactationis ad finem pueritiæ frequenter occurrunt: & ad hos pertinet posterior species, quam Achorum nomine distinguunt, nostræ ulterioris explicationis objectum.

XXXVIII. Dixi §. XXXV. hanc speciem circumscribi semper cutis capillatæ finibus: inde concludo ejus specificans seminium non latere posse in sanguinis impuritate universali, loci determinationem non admittente, & in omni corporis parte alias erumpere potente. Potius id quod specificat hunc morbum, in ipsius cutis capillatæ fabrica, situ ejusque ceteris circumstantiis peculiaribus latere suspicor.

XXXIX. Cutis capillata cum alia quacunque integumentorum communium parte id commune habet, quod sit ex vasorum arteriosorum, venosorum, lymphaticorum utriusque generis & nerveorum ultimis finibus, fibrisque tendineo muscularibus mirabiliter composita tela, hinc expirationis insensibilis, inspirationis & resorptionis, sensus tactus, motus tonici, organon.

XL. Inter hujus telæ tricas observantur porro, 1.) meatus ampliores unctuosi, pinguem aliquem madorem, cutis exsiccationem impediendam exhalantes, quorum multi continent materiam in eorum cavum collectam, depositam, stagnantem, dissipatis humidioribus partibus, in pastam sæpe sebaceam abeuntem. 2. Capillorum radices singulæ propria vagina sæpe longa reconditæ. 3. Papillæ nerveæ, quæ deposito ad corporis reticularis texturam involucto, ex nervearum fibrarum interna molliori substantia progerminant. 4. Vascula emissaria seu ductus excretorii ab ipsis infra cutem



fitis glandulis miliaribus orti, totamque cutis substantiam penetrantes, & denique etiam sub cute capillata decurrit membrana cellulosa, pinguedine plus minus referta.

XLII. Differentiæ vero cutis capillatæ in eo consistunt, quod 1.) meatus illi unctuarii, pro inungendis capillis majorem copiam pinguis illius madoris exhalent, hinc supponendum sit, esse liberrimas vias a subdita membrana cellulosa. 2.) Quod cutis capillata maximam copiam radicum capillorum cum suis vaginis recondat. 3.) Quod paucissimas habeat papillas nerveas. 4.) Quod spissior sit alia quacunque cute, 5.) Quod sita sit in capitis superiore & posteriore parte, expansa super ossa capitis nondum duritiem crassitiemque futuram adepta, futuris admodum laxè adhuc vel non in totum unitis. 6.) Quod ab aeris accessu capillorum copia munita sit, eo ipso vero calor continuus major, transpirationem augeat, humores autem ex illa exsudantes & transpirantes, non tam cito avolare possint, ut in aliis corporis regionibus, sed longius morati, sensim in auram abeuntibus humidioribus partibus, majorem copiam impuritatum relinquunt.

XLII. Illis §. XXXIX. XL. ponderatis liquet, oriri ex structura sola in omni cute posse: 1. Obstructionem vasculorum arteriosorum minimorum. 2. Obstructionem vasculorum lymphaticorum. 3. Obstructionem glandularum miliarum earumque ductuum excretoriorum & ex his varii generis inflammationes, suppurationes, corruptiones, scirrhotates particulares, non ex sanguinis corrupta indole nascentes, sed resorptione sanguini inficiendo pares.

XLIII. Hæc in omni cute possibilia etiam in cute capillata occurrere possunt, cum in omnibus illis, §. XXXIX. & XL. cutis universæ conditionibus conveniat: imo ibi sæpius, in ea ætate §. XIV. 2. XXXVII, posita seminiarum natura §. XIX. ad XXX., maxime directione humorum versus caput majore §. XXV. XXVI. necessitate auctarum excretionum §. XX. XXI. facili accessu potentiarum nocentium, §. XXXII. evenire



evenire debent, cum variæ differentiæ specificæ §. XLI. his malis orituris, §. XLII. præcipue faveant.

XLIV. Facta scilicet, concurrentibus feminiis §. XVII. & potentiis nocentibus §. XXXII. modo his modo illis, simplice inundatione, excretorum copia §. XXXI. obstruet mil- lenos illos loculos, ductus, meatus, vaginulas, §. XL. & XLI. cita deficcatione & epidermidis destructione producet simplicem furfurationem plus minus prurientem; vel longius durante affluxu, continuata excretionem, humidi accessu, longiore mora, calore, contrahet hunc vel illum corruptionis & acrimoniæ gradum, stimulat fibras nerveas, corrodet vascula subtilissima, extravasationi, inflammationi viam pandet, & sic modo hanc modo aliam impuritatum speciem producet.

XLV. Facta autem per causas, §. XLIII. intra vasa stagnatione, sequetur stasis, hanc obstructio, hanc inflam- matio, suppuratio, exulceratio, quæ non solum diversam cor- ruptionis indolem, pro humorum diversa indole suscipiunt, prouti scil. stasis facta fuerit in arteriosis vel lymphaticis va- sculis, vel glandulis, sed etiam pro mora corruptionis ma- jorem vel minorem acrimoniæ gradum adquirunt, prouti scil. diversæ indolis vasa, glandulas secum ad corruptionem dispo- nere, revera corrodere, & sic compositæ indolis corruptio- nem producere possunt, cujus pessimus semper status ille est, in quo pinguedo in corruptionis consortium rapitur.

XLVI. Convincimur inde immensam diversitatem & spe- cierum copiam ulcerum capitis per theoretica principia distin- ctu possibilium enumerari, aut si mavis fingi posse, quarum in praxi distinctio per signa pathognomonica nunquam spe- randa erit. Sufficit ex consideratione antecedentium practice augurari: (1) etiam illas ulcerum capitis species, quæ solam capillatam cutem obfident, eoque ipso probabiliter nulli san- guinis specificæ infectioni vel cacoehymix ortum debent, tamen satis malignas fieri posse ex ætatis & loci specifica di- positione, §. XLV. (2) Ulcera capitis, quæ alia loca quam cu- tem capillatam simul afficiunt, ortum debere vel universali
dyscr-



dyscrasie, §. XXXVIII. vel ex complicatione veri miasmatis maligna fieri, §. VI. XI. XIV. 9. XV. vel esse summum morbi gradum, quo resorptione, reliqua humorum massa fuerit infecta. §. XLII. (3) Distinctionem illam in benigna & maligna ulcera capitis, non aliter esse interpretandam, quam quod vel pro gradu & duratione corruptionis, vel partium affectarum indole nata sit corruptio malignæ indolis, §. XLIV. XLV. non quod malignitate ibi deposita specificata sint ulcera. Ulcera scil. recentiora benigniora sunt illis, quæ corruptione per longum tempus durante, (neglecta pectinatione,) vasa lymphatica, glandulas miliares, vaginas capillorum, membranam cellulofam corroserunt: Sic & ulcera ex stasi in sanguineis vasculis enata, benigniora sunt illis, quæ ex lymphaticorum vasorum obstructione orta sunt, & hæc iterum benigniora illis, quæ ex glandularum obstructione, & tandem pessima, quæ ex obstructione in membrana cellulosa enata sunt. (4) Male itaque sub malignis comprehendere illa, quæ non ex se, sed accessu peregrini miasmatis maligna sunt, quia talia per infectionem maligna, non consideranda sunt ut ulcera capitis, sed ut morbus sui generis, v. g. Lepra, Lues venerea, Scorbutus. (5) Ex his denique cum ipsorum morborum speciebus collatis, Achores quos auctores pro benignis adhuc agnoscunt ad summum ex stasi in vasculis sanguineis vel lymphaticis orta nasci; in Tineam degenerare, si glandulæ miliares eorumque ductus excretorii simul afficiantur; & in Favum, si ad membranam adiposam cellulofam, & pinguedinem corruptio penetret: denique ubi specifica acrimonia vel dyscrasia §. XXVIII. sanguinis accedat, semper & cito Achores in summum Tineæ vel Favi transmigrare gradum.

XLVII. Interim nec omnis hæc theoria, cum practicis observationibus ad unguem cohærens, exhaurit, quod in praxi sæpius observatur. Attenti scilicet negare non possunt eruptionem Achorum nonnunquam *operosiore* congestionum adparatu, horripilatione in remotis a capite partibus, dolore capitis, catarrho comite fieri, alia vice febris catharrhalis & erysipelatodes symptomata antecedere, quæ post unius vel alterius



alterius diei decursum desinunt in Achorum eruptionem, vel denique quodcunque febrile negotium hunc ipsum eruptionis actum præire, hinc qui hujus observationis veritatem & animadvertunt & urgent, Stahliani systematis strenui propugnatores, concludunt, subesse aliquid activi, certam quandam principii activi intentionem præsupponens, quod ita explicant: Plethoræ onerosæ commotione istud principium ad hæmorrhagicum adparatum suscipiendum stimulari, impedita vero sinceri sanguinis excretionem, catarrhosæ congestionis excretionem, sinceri sanguinis excretionis vicariam, moliri, hac autem excernendorum cumulo minus respondente, sub continuatis congestionis moliminibus, in extremæ cutis loculos deponere serum acre, sub motibus auctis ortum; vel si & hujus generis adparatu, (scil. congestorio) finem assequi nequeat provida natura, irritatam semel, febriles motus instituire, qui si excretionum libero progressui restituendo impares sint, transmigrant in novum congestorium laborem, resolutas sub febrilibus motibus partes acres in locum congruum depositurum.

XLVIII. Confiteor me non procul abesse ab eorum hypothesi, practice in diversis casibus verissima. Sed nolim subscribere semper ordini, multo minus loquendi modo & phrasibus, quibus scandalo sunt, ceterum de veritate convictis. Idque eo minus, cum certissime persuasus sim, omnia illa experientiæ consentanea, explicari posse, relictis his loquendi formulis offendentibus. En! quæ vera sunt circa hanc hypothesin

XLIX. Tam facilis est (per experientiam) naturæ humanæ ad excretionem quascunque, vel fortuito inventas, vel nutu, vel errore artificis ipsius factas assuetudo, ut vel semel apertam viam, ac si idea quædam impressa remansisset, repetat, quovis in œconomia animali oriente præternaturali irritamento, sive sit illud abundantia simplex, acrimonia, spissitudo, excretio naturalis impedita, sive ex his compositum vitium.

L. Ubi itaque semina ex ætate petenda §. XVII - XXIX. cum seminiis ex structuræ & loci conditionibus §. XXXIX -



XLI. & potentiis nocentibus §. xxxII. vel quibuscunque concurrunt, mechanice primo orietur, modo explicato §. xxxI. excretio præter naturam aucta, vel hac impedita, stasis morboſa, §. xxxII. xxxIII. in exulcerationem excretionum vicariam determinata, pro occasionum concurrentium diverſitate diverſa, §. XLIV. XLV. nullius hucusque activæ (cum intentione factæ) directionis, neque quantum obſervare mihi licuit, finis hæmorrhagici particeps. Sed via ſemel inventa, parata, aſſueta, ad cujuſvis irritamenti præternaturalis §. L. exiſtentiam, obſervamus adparatum motuum, pro indole irritamenti præternaturalis, §. L. temperamenti & illorum §. xxx. ſenſibilitatiſque gradu §. xxIx. vel ſimpliciter congeſtoriorum vel leviter febrilium oriri, quibus quaſi cum intentione vel ex reminiſcentia viæ olim apertæ ad eundem locum congeruntur humores.

LI. Convictus ideoque largior, dicta applicando ad noſtrum thema, primam Achorum eruptionem fieri mere mechanice, ſed eandem poſtea, etiam concurſu aliorum ab Achorum mechanica fiendi neceſſitate alienorum ſeminiorum & potentiarum, ſub motibus repeti, qui molimina activa dici merentur, per repetitas obſervationes ſimul certiffime ſcio. Minime quidem credo, naturam humanam quaſi per Syllogiſmos & decretum agere, nec neceſſe eſt talibus phraſibus uti, quanquam lateat ſub iſſis veritas, quam negare nequeo.

LII. Explicet quiſque quomodo voluerit, mihi ſufficit ſcire, eſſe in homine principium vivens, ad quæcunque præternaturalia irritamenta vires ſuas, quas in corpus habet, (& quidem primo ſimplice motuum præcipue vitalium augmento) intendens, & ſic quaſi ex lege nexus æterna anxie integritatem ſtatus naturalis ſervare, corruptionem avertere, moliens.

LIII. Scire mihi ſufficit, hunc inſtinctum §. LII. huc uſque iudicii & arbitrii neſcium, primo mechanicis ſeminis, ex ſtructuræ, mixtionis, conſenſus partium mutui, irritabilitatis partium generalibus, loci, ætatis, ſpecialiſſimis, ſubjecti & caſus fortuiti individuis, conditionibus petendis, determinari, ſed poſtea, poſita in praxi tam clare undique patentis memoria vitalis veritate §. XLIX. vi ideæ relictæ, intentionem quan-

dam vel mentiri vel fovere, quæ ad urgendos pristinos motus, cessantibus quoque pristinis seminis, tamdiu excitatur, quamdiu non, mechanicæ necessitatis vel Casus novioris interventu, nova ad aliter agendum idea, qua prior vel subito vel sensim deletur, memoriæ vitali impressa fuerit.

LIV. Ut clarius exponam & specialissime applicem hanc thesin ad experientiæ & facti historiam, non recorder ullius casus practici, in quo molimina hæmorrhagica fuerint priora Achoribus, neque ullius, in quo non prima Achorum eruptio fuerit lenta, nullo febrili vel *operosiore* congestorio adparatu observato: ideoque cessat consequentia, quia sæpius Achores erumpunt sub motibus activi quid prodentibus, ergo semper sunt naturæ opus, quo præmeditato, in hac ætate, sub forma Achorum, in hunc locum, posita cacochymia, acre deponit & eliminat, vel posita plethora, sanguinem in serum convertit & vicaria excretionem id quod nimium est imminuit.

LV. Potius secundo pro determinatione seminiæ ætatis §. XVII. & potentiarum nocentium §. XXXIII. in hoc vel alio subjecto infanti, oritur vel hic vel ille casuum §. XXXIII. allatorum, sine ulla suspitione latentis ad hæmorrhagiam propensionis, vel plane mechanice, passive, vel si aliquid activi, v. g. motus tonici alterationes, appulsus major humorum versus caput observetur, id non fit intentione hæmorrhagica, sed intentionis suppositæ ratio cadit in necessitatem incrementi & evolutionis partium §. XXIII - XXVI. & ortus morbi cujuscunque §. XXXIII. debetur fortuitæ *hujus* per potentias nocentes §. XXXII. determinationi, vel copię humorum alio sine quam hæmorrhagico evacuatorio appulsæ (α) passive hic nocenti, vel excretionibus naturalibus impeditis, (β) passive stagnanti; hinc stat sententia per observationes firma, primam cujuscunque indolis §. XXXIII. præter naturalem alterationem fieri mere passive.

LVI. Tertio in quamcunque excretionem auctiorem §. XXXI. vel illorum casuum §. XXXIII. infans primo incidit, illum frequenter occurrere, imò ita sæpius tali excretioni, præsentibus etiam seminis aliis morbis ex sua natura plus fa-



ventibus, affuefieri naturam observamus, ut pertinaciter ad priorem locum, motibus sæpe tantum non extraordinariis, dirigat humores, omnesque morbos orituros, in Schema primi morbi convertat. v.g. Si semel Achores orti fuerint, non facile alius observatur morbus, sed morbosum omne determinatur ad locum Achorum: si semel aurium affectibus, si semel catharrhosis affectibus, narium mucosa oppletione, Coryza, si semel oculorum affectibus divexatus fuerit infans, pertinaciter quisque morbosus, ipsi ex quavis causa suboriens, stimulus, determinabitur ad locum primæ infelicis vel felicitis determinationis; & hujus determinationis causam non aliter scio nominare, quam memoriæ cujusdam vitalis ideæ superstitem, §. XLIX. LIII. instinctum arbitrii & judicii nescium §. LII. ita dirigentem, ut motus cum intentione instituere videatur. §. LIII.

LVII. Si vero quarto ex quacunque vel violenta vel subita mutatione vel seminiarum vel novarum potentiarum nocentium fortuito aut naturaliter enato concursu prior assuetudinis determinatio impediatur, & in novum systema motuum cogatur, (si v.g. sub congestione versus caput vel incrementi vel evolutionis naturalis partium causa, vel assuetæ cujuscunque excretionis promovendæ gratia fiente, oriatur hæmorrhagia narium, vitæ genere mutato, exercitio corporis validiore, vini potu vel alius potentie nocentis accessu,) facile idea prior determinans deletur, mutatur in aliam, (v.g. Hæmorrhagicam) ut in posterum, quocunque enato in corpore stimulo morbofo nascantur motus directe ad locum ultimæ depletionis tendentes, & secundum ideam relictam hæmorrhagiam narium nunc & in posterum respicientes.

LVIII. Hæc idea tam diu iterum manet inter seminia potentissimum, usque dum novo impedimento exorto, (v.g. cum annis pubertatis incipiente evolutione partium genitalium) tendant quidem motus congestorii ad locum pristina depletionis, (v.g. caput,) sed diversione novissime nata non eo deveniant, sed in medio quasi hæreant, ut sub hac inter ideæ pristinae depletoriae executionem & irritamenti novissim



visissimi diversionem enata contrarietate intermedius locus, (v. g. pectus) afficiatur, & turgente vel commota plethora fortuito erumpat sanguis per vasa, (pulmonica,) quæ evacuationo novam ideam relinquit, qua in posterum congestorii motus in hoc subiecto ad locum novissime factæ excretionis (pectus) diriguntur, & in molimina heic determinata (hæmoptica,) determinabuntur, ad quamcunque fere occasionem, quæ in alio subiecto longe alium produxisset motum & morbum.

LIX. Sic toties quoties nova existit idea remanens, veterem delens, instinctum vitalem de reliquo omnis arbitrii expertem, determinans. Sed ne longius aberrasse videar, repeto ea, quorum causa hæc monere fere præter voluntatem debui. Non potui non veritatem agnoscere; eruptionem Achorum quandoque sub motibus fieri, quibus aliquid activi, imo aliquid intentionem quandam determinatam mentientis subesse videtur, cum ex hac conditione ea, quæ sequuntur, decidenda erunt, & tamen rudis illius, naturæ per deliberationes & decreta agentis, loquendi formulæ correus fieri nolui.

LX. His quoad theoriam Achorum prælibatis, perquirendum nobis erit, in morbos, (omissis levioribus, respectu nostri thematis, cephalalgia, otalgia, catarrho, odontalgia, angina, febre, quorum scilicet curationem nullus facile medicus per insitionem Achorum tentare suadebit,) quorum vel periculosa vel intimescenda sequela, vel refractaria quoad curationem indoles mereri forte videbuntur novi experimenti tentamen. Inter hos caput effert Epilepsia, sequitur Asthma chronicum, dentitio valde difficilis, Aurium fluxus, oculorum affectus, narium obstructio perennis, Parotides refractariæ. Certissimum est his morbis non solum non corripi infantes, quorum caput Achoribus defœdatur, sed æque verum, Achoribus supervenientibus ab illis liberari, imo verissimum & vulgatissimum, incongrue tractatos, retropullos, vel artis vel diætæ erroribus desiccatos, infausto fato transmigrare in nominatos maximi periculi morbos.



LXI Tam nota hæc sunt, ut quotidiana experientia convictus fieri possit quivis vel obiter attendens. Sed ne deesse officio videar, auctorum observationibus hæc asserta confirmare æquum duco.

LXII Primæ thesi probandæ apprime satisfacit Foresti testimonium, strenui & fidi illius observatoris medici. Infans, inquit, Observ. Med. L. VIII. Obs. XIX. cum saphatum in capite haberet, seu tineam, & mater curationem a me peteret, consului, ne subito medicamenta capiti admoveret, nam solent infantes hoc malo juxta Rhazin a variis malis *preservari*, ut Epilepsia, Convulsione, Passionibus melancholicis, ita ut experientia *sæpe* vidimus, tales infantes hilares & jucundos esse. Hinc doctissimorum medicorum auctoritate, nisi parentibus urgentibus a curatione multi abstinent. Egregie cum illo consentit Dolæus Encyclopæd. L. VI. de morb. infant. p. 429. Achores & Tineæ cum sæpius pueros & infantes *a gravioribus morbis liberent*, non sunt valde periculosa. & eod. loco, *salutares esse* tales defœdationes infantibus, vulgo fertur, quatenus *preservent* eos a majoribus morbis, quod quidem negari haud potest, quatenus sunt bonum quidem signum, sed malæ causæ, melius enim conducere, si abessent, prout annotavit, Cel. Ettmüllerus. Sed alio loco ipse a Dolæo citatus Ettmüllerus T. II. p. 1714. §. 26. inquit: Certe observavi, tumores glandularum ad parvi ovi gallinacei magnitudinem in collo mox infra aurem protuberasse, cum Crusta lactea caput obducens evanuisset, *quo tumore subsidente* & tandem dicta lactumina denuo efflorescebant. Accedit Kleinii experientia: Interpr. Clinic. p. 158. Infantes quibus Crustæ scabiosæ in capite superveniunt, *raro corripiuntur moribus epilepticis*. Et paulo supra pag. 157. Tineam mitiorem, Achores & Crustam lacteam usque adeo sæpius *ad sequentem prosperam valetudinem* facere perhibuit. Sic etiam Fr. Hoffmannus, T. I. p. 395. §. 37. ad salutares naturæ excretiones refert, Tineam capitis &c. quibus se natura ab humoribus excrementitiis, falsis, acribus & corruptis vindicat.



LXIII. Quoad secundam thesin, morbos supervenientibus Achoribus profligari, probandam, æque frequentia occurrunt ubique Auctorum testimonia, præsertim ipsius Hippocratis assertum, quo libro de morbo sacro perhibet, infantes si ipsis ulcera in capitibus vel circa aures vel in facie vel in reliquo corpore *excitentur*, *liberari* ab Epilepsia, secundum Ettmüller: op. omn. T. II. p. 1716. demonstrationi maximum addit pondus. Cui sententiæ ipse Ettmüllerus op. omn. T. II. p. 1703. ex propria experientia accedit; "Subinde, ait, horum affectuum medio, ab aliis gravioribus malis, in specie Epilepticis *præservantur & liberantur* infantes. Sicut retro-pulsis his ipsis pustulis aut exsiccatis subito ulcusculis, multa mala, in specie febris lymphatica plus minus lenta, convulsiones, diarrhœa, Tusses pectorales diuturnæ & similia superveniunt. Si Kleinii evolvamus Interpr. Clinicum etiam ibi existant diversæ, quæ huc pertinent sententiæ; p. 167. glandulæ colli tumidæ sunt potissimum prodromi aurium manantium vel Achorum, *quibus advenientibus solvuntur*. p. 198. Nyctalopia plurimumprehendit pueros ac juvenes, iique vel sponte evadunt d. 40. vel 7. mense vel post annum demum, *vel supervenientes abscessus præsidio sunt*. p. 158. Exanthemata scabiosa capitis eveniunt post variolas, morbillos, febres acutas, quartanam contumacem, *imperfecta crisi soluta*. Nihil frequentius visitur in infantibus, inquit Fr. Hoffmann. Syst. Med. T. III. p. 181. quam a Crusta lactea solo frigore repulsa febrem continuam excitari, *qua desinente illa revertitur*, quæ quoties repulsa fuerit, toties denuo febrem accensam annotavimus. Riedlinus lin. Med. Ao. 6. nov. obs. 5. p. 1253. memoriæ tradidit casum, Achoribus cedentis auditus difficultatis. Consentit Laur. Jouberti Isagog. Therapevt. p. 96. "Tinea etiam vocata, aures purulentæ & alia quæ a gravissimis affectibus, ut Epilepsia, infantes sæpe *vindicant*. Neque Trallesius Tr. de usu opii salubri & noxio p. 16. alia mente sequens dedit consilium: "Alia porro species est, (Epilepsiæ,) quæ interceptis evacuationibus lennibus, sanguineis aut serosis, ortum debet, *hanc si curare velis*,



” *velis, fac ad consueta loca DETERMINENTUR humores*: Cui
 ” vero fini opium raro aut nunquam respondere videbis.

LXIV. Sufficere possent hæc Auctorum testimonia etiam probandæ thesi tertiæ; Achorum repulsionem maximi periculi morbos producere: Sed proferamus adhuc aliqua, quanquam præ multitudine observationum probantium vix sciamus selectum illarum facere. Tragica nobis refert exempla Bonetus
 ” in sepulch. T. III. p. 413. ” Mulier Tinea tentata, capitis
 ” lotionibus sanata, in capitis dolorem & febrem incidit,
 ” 30 post die morte succedente, sublato Cranio media pars
 ” totius Cerebri, (dextrum scil. latus) putrida, ichore citri-
 ” no referta. Ex Sylv. de le Boy. Apend. Tr. I. c. 8. repe-
 ” tit admonitionem: in affectibus cutaneis capitis sedulo
 ” cavendum, ne medicamentis poros occludentibus & humo-
 ” res repellentibus tractentur, sequitur febris, Epilepsia,
 ” mors. Intra quatrimum An. 1679. enecatos vidi duos
 ” pueros, in nobili familia genevensi, ab inunctione capitis
 ” ex butyro falso adunquenti consistentiam in sartagine frixo:
 ” utrique supervenit leucophlegmatia, Dyspnœa, mors. Ex
 ” Act. med. Th. Bartholin. An. 1674. 75. 76. narrat quæ se-
 ” quitur historiam: Bimulus princeps, Serenissimæ germaniæ
 ” familiæ, Diarrhœa, Atrophia, aliisque symptomatibus de-
 ” functus, &c. in Cranio octo & plura cochlearia aquæ
 ” cruentæ inventa; externa capitis ulcuscula prorsus evanue-
 ” runt. Sic quoque de insecta Epilepsia frequentissimi ex-
 ” tant casus. Puerulus 9 mensium, vitio nutricis cacochy-
 ” mico - scorbuticæ, insigniter dicta Crusta lactea super Cra-
 ” nii hæmispherium & faciem fere integram deformatus fuit,
 ” quæ cum sponte evanuisset, successit gravissima Tussis, di-
 ” arrhœa acris, Excoriatio podicis, Aestus, Epilepsia. Etm.
 ” op. om. T. II. p. 1714. Retropulsio Achorum, Crustæ la-
 ” ctæ, scabiei aliorumque ulcerum manantium, causantur Epi-
 ” lepsiam. Junck Consp. Therap. spec. p. 450. V. 4. i. c. Ex
 ” Achoribus retropulsis &c. Fr. Hoffm. Syst. Med. T. III. p.
 ” 181. annotat Epilepsiam aliosque graves capitis affectus, Apo-
 ” plexiam, furdidatem, oculi inflammationem & cœcitatem,
 ” Asthma



Asthma convulsivum. Ex retropulsis Achoribus Epilepsiam notavit Hagendorn, Cent. I. Hist. 8. p. 14. "Si Crustæ scabiosæ in capite recedunt, inducunt Asthma maxime convulsivum, convulsiones, Tussim ferinam, catarrhum suffocativum, Epilepsiam, Ophthalmiam Epiphoram contumacem, glandularum colli & maxillarum tumores, psorophthalmiam, guttam serenam, Aurium vitia, pectoris & mesenterii morbos, varias febres, tabem, motus spasmodicos vagos. Vid. Klein Interpr. clinic. p. 158. Neque ignotum est, ex chronicis ulcera capitis manantia &c. si ex errore vel culpa medentium aut ægrotantium introvertantur, gravissima imò sæpius funesta prognerare symptomata. Fr. Hoffm. Med. Rat. Syst. T. II. p. 214. §. XXXII. Excrementitiæ *sordes ad sanguinis & lymphæ massam* in morbis *retropulse, naturam veneni exacte æmulantur*. loc. cit. §. XXXV. & in seq. Nihil periculosius & quod magis œconomiam motuum interturbare possit, est, ac si *excrementum tenue malignum a massa sanguinis jam separatum & ad cutem depositum* v. g. in scabie &c. Tinea capitis, &c. retropellatur, si quidem materia jam peioris indolis facta, nervosis partibus inhærens, exitiales inflammationes, convulsiones, dolores &c. suscitatur. Fr. Hoffm. l. cit. Hæc confirmat Riedlinus, Cur. Med. 879. historiâ febris, Achorum exsiccationem succedentis. Confirmant A. Berolin Dec. I. Vol. 7. p. 7. in quibus diversa ex Achoribus translocatio narratur. Generaliter, inquit Junckerus, Achoribus retropulsis infausta damna succedunt. Chirurg. p. 264. Maxime tamen ad pectus ruunt vel oculos vel aures, imo quandoque ipsos excipit surditas, Klein Interpr. Clinic. p. 157. Sic post Achores secutæ guttæ serenæ historiam habent Act. Berolin. Dec. II. Vol. VI. p. 28, & cephalææ diuturnæ ex Tinea retropulsa, Lentil, Misc. Med. pract. 2 - 387.

LXV. In tanta Testium fide dignissimorum copia, quis ultrô dubitare potest practice de nexu inter hos morbos & Achores? Sed concessis etiam veritatibus: Achoribus vexa-



tos liberos vivere a dictis §. LX. morbis; Pueros morbis §. LX. ægrotantes, liberari ab ipsis, Achorum eruptione, naturæ beneficio feliciter superveniente; & tam reciprocam esse inter morbos §. LX. & Achores metamorphosin, ut hi illos, illi hos, excipiant vicissim: sequiturne, hos morbos curari posse artificiali provocatione Achorum?

LXVI. Videtur ad maximam verisimilitudinem accedere consequentia: videtur, id ipsum indigitasse jam, Hippocrates, loc. cit. §. LXIII. verbis *SI EXCITENTUR*: Videtur, ita sibi certissime persuasum habuisse, Trallesius, §. LXIII. Videtur id ex analogia operationis vesicantium, setaceorum sequi.

LXVII. Sed hæsito, an pro indubia certitudine id possim vendere, quod artificialis Achorum provocatio, coacta humorum directione (invita minerva) impetranda, eosdem morbos auferat, quos Achoribus, instinctu vitali concursu seminiorum & potentiarum determinato, (annuente Natura) ortis, cessare scimus. Imo persuasus sum, hujus rei neminem a priori posse tam certum esse, ut de indubio eventu evictionem præstare possit. Interim tamen maxima verisimilitudo medico largitur potestatem, de eo, quod sine periculo fieri poterit, periculum ut ajunt faciendi, & de tuta & certa methodo cogitandi, qua tale tentamen institui poterit.

LXVIII. Sed hic non levis momenti difficultates occurrunt. Si enim pro certissimo assumamus, artificiali provocatione Achorum illos morbos §. LX. felicissime curari posse: quæritur an possibilis sit illa Achorum artificialis provocatio? Proh dolor! hucusque omnia tentamina fuerunt inania. Suppono, nolle nos inficere caput infantis Achoribus cum morbis malignæ indolis complicatis, ad quod sane nullum requireretur artificium; de simplicium Achorum propagatione assevero, me nunquam tam felicem fuisse, ut potuissem ulla arte Achores producere, qui non, cessante stimulo, rursus evanissent. Neque enim concursus seminiorum & potentiarum, casu primò, enati, mechanicam determinationem §. XXXIV. neque ideæ ortæ & consuetudinis motuum vim §. XLIX. L. quovis stimulo invertere, tam leve est negotium



LXIX. De stimulo itaque & fortiori & certiori cogitanti, facile suboriebatur spes, methodo insitionis variolarum imitanda talem invenire, qui §. LVII. motibus in novum systema cogendis par sit. Ut autem eo certius dijudicare possimus, quid de tali imitatione insitionis sperare liceat, ante omnia cogitandum nobis erit, quomodo talis insitio Achorum instituenda foret.

LXX. Possent fieri vulnuscule, quibus fermentum insinuaretur, plane eadem methodo, qua consuevimus inoculare variolas. 1) Hæc vulnuscule deberent infligi in ipsa parte capillata, quæ in variolis inoculandis in brachio & pede infligi consueverunt. 2) In illa regione, qua vulnuscule infligenda curarem, eam ob causam capillos radi non finerem, ne humiditas ad vulnuscule allicienda, suppurationem & promtorem & largiorem expediens, incremento capillorum consumatur. Hinc 3) nullo emplastro tegente opus esset. 4) Equidem credidissem, infligenda esse tria vel quatuor vulnuscule, distantia duorum pollicum ab invicem remota, nec unum sufficere. 5) Vulnuscule ipsa pollicem longa esse debere eam ob causam crediderim, ut validior inflammatio & largior suppuratio oriatur. 6) Ratione profunditatis vulnusculorum, penetrare debere illa dimidiam cutis crassitiem, suppono, ne scilicet nimis superficialia sint, neque tamen glandulas miliares vel membranam adiposam §. XL. XLI. XLV. proxime afficere possit inflammatio. 7) Ratione fermenti insitionis idem erit, an ex ulceribus capitis filo vel gossypio exceptum, vel ope frustulorum alicujus escharæ jam siccata vulnusculis insinuetur, & octavo denique, studio ab omni peccinatione & vulnusculi ab impuritatibus collectis & arefactis mundificatione abstinere, ut poris obstructis, capillis conglutinis, §. xxxII. Nro. ult. eo certius cogatur suppuratio, ea quidem limitatione, ut pro subjecti sensibilitate, §. xxIX. & conditionibus reliquis, §. xxx. omnia dirigerem intenderem, minuerem.



LXXI. Præter dicta, quæ ratione ipsius operationis observanda putavi, aliarum adhuc ratio habenda esset cautelarum. 1) Nulla opus esset præparatione: Achores enim supponunt excretionum aliarum defectum, præternaturalem statum, non liberum progressum. Hinc neque per consueta sanguinem depurantia transpirationem promovere neque ciere alvinas excretiones conveniet, cum hæ excretiones liberiores humores potius a capite derivarent, quam Achorum artificiali allectationi faverent. 2) In nullo subjecto cacochymicæ dispositionis vel scorbuticæ aut venereæ infectionis suspecto unquam operationem hanc suscipiendam suaderem, quia accessu talium degenerare possent in scabiem particularem pessimæ indolis. 3) Fermentum a nullo alio subjecto sumerem, nisi tali, quod certissime simplicibus Achoribus §. XIV. laboraret & neque malignitatis §. VI. - X. neque complicationis ullius §. XI. XII. XIV. nro. 9. suspectum esset. Quanquam enim me non lateat, insitionis patronos statuere, luis venereæ propagationem per insitionem variolarum non esse extimescendam, aliud tamen est propagari posse fermento varioloso, aliud fermento ex ulcere chronico desumpto, quod apertam infectionem & miasmatis venerei accessum prodit. 4) Viscerum labe præsenteneque tentarem Achorum insitionem, neque auxilium inde futurum sperarem. 5) Vermium præsentia suspecta subjecta inepta tentamini perhorrescerem.

LXXII. Ita quidem cogitavi olim, ita facile in errorem rapimur incauti, nec dubito juniores vel audaces probabilitate prima seduci posse medicos ad experimentum alieno periculo instituendum; sed quæstionem de modo & cautelis insitionis excipit alia longe gravior: An insitio Achorum eadem methodo, qua variolas inoculare consuevimus, mutatis mutandis instituta, eo ipso & eadem lege productura sit Achores, qua insitio variolarum, variolas? De quo dubito non sine ratione sufficiente.

LXXIII. Pus scilicet seu fermentum variolosum continet specificum miasma, sui generis exanthemata sub certis conditioni-



ditionibus produciens, contagio quocunque modo corpori illato, febrilibus motibus universalibus sese evolvens.

LXXIV. Differt ideoque quam maxime ab illo Ichore ulceris particularis, cujus causa non in totius sanguinis impuritate §. XXXVIII. latet, sed concursu seminiarum ætatis, §. XVII. seq. & potentiarum nocentium §. xxxII. in ipso loco particulari, §. xxxv. ab ipsius loci conditionibus §. xxxVIII. seqq. demum specificatur, quod tamdiu solum sustinetur, quamdiu congestio non versus alium locum, vi ideæ instinctum naturalem determinantis §. LII. dirigitur, cujus malignitatis gradus & corruptionis indoles, a partium simul corruptarum indole, copia, §. XLVI. pendet, mutatur: quod mere vicarium aliarum excretionum naturalium §. xxxI. xxxII. est, & cujus materia resorpta in sanguinem, non sibi simile producit ulcus, sed §. LXIV. febrem, motuumque turbas maximas.

LXXV. Hinc, cum negandum non sit, fermentum illud §. LXX. nro. 7.. vulnuscule insinuatum, §. LXX. nro. 1 - 6. ex parte resorberi in sanguinem, producet dictos §. LXIV. effectus & tanquam excrementum tenue malignum a massa sanguinis jam separatum, & ad cutem depositum, ut loquar verbis Illustr. Fr. Hoffmanni, veneni naturam exacte æmulans, loc. cit. §. LXIV. veneni effectibus similes, ad minimum febrem, quæ pro circumstantiarum ratione vel in exanthematicam incognitæ speciei, vel in metastasin terminabitur, non capillatam capitis partem, sed locum, ad quem, vi ideæ relictæ, instinctum animale determinantis, motus dirigi consueverunt, §. LVI. petentem, ibique eo ipso decubitu, stasin, §. xxxIII. XIX. XX. inflammationem §. XXI. vel cuiuscunque formæ morbum §. LX. quem auferre insitione gestivimus, exacerbabit.

LXXVI. Ut taceam variolarum insitionem fieri in locis a capite remotis, variolasque naturaliter primo in facie erumpentes, ad illum locum, in quo factum vulnere & sequente suppuratione veneno varioloso simul exitus paratur, invitari,



& hinc maculas rubras primo circa vulnusculum prodire, insitionem Achorum autem ex rei natura in capite ipso fieri debere, atque hinc materiam malignam ad caput, ancipiti eventu an ad cutem, an ad interiora se determinet, allici: id imprimis maximi momenti esse censeo, quod insitio variolarum semper in sanissimo corpore fiat, Achorum, insitio vero in ægroto fieri deberet, in quo humores non libere pro concursus seminiorum mechanicis viribus sed pro idæ, jam dum instinctum agendi antecedentium concursu, dirigentis, determinatione, congeruntur.

LXXVII. Et cum denique legisse recorder, Viperarum, Serpentum, Bantamentium venenum, quo tela inficere norunt, ut & oleum tabaci, aliaque, quæ cum saliva deglutita innocua sunt, facto vulnere cum sanguine communicata, præsentissima esse venena, certoque jugulare, etiam exinde, quod nunquam ab inertia materiæ cujuscunque ad ejus operationem, si per vulnusculum sanguini insinuatam fuerit, concludere liceat, tale experimentum, quo pus impurum, dubiæ indolis, sanguini communicatur, perhorresco, & pro valde ancipiti ausu judico.

LXXVIII. Neque hæc sententia mere speculativa est, & a solo illo argumento, quod petere licet ab effectibus Achorum retrogressorum, desumpta: extat enim casus rarissimus in Dissertatione Prænobiliss. Dn. D. Toggenburgeri, Argentorati habitæ 1760., *casum stuporis, scabiei inoculatione curati* exhibente, qui omnia illa §. LXXV. ipso facto experimento confirmat. Cum hæc dissertatio forte non in omnium manibus sit, expedit casum transcribere, quantum huc pertinuerit, ut sapere discant juniores practici.

LXXIX. Adolescens 28 annorum, cui, per biennium stupore melancholico plane singulari ægrotanti, in regio a charitate denominato Nosocomio Berolinensi, suadente Medico ordinario Excellent. & Experientiss. Dn. D. Muzell omnes curationis Methodi frustra adhibitæ fuerunt, & cui neque xxv
gran



grana tartari emetici pro dosi sumta plus uno vomitu excitare potuerunt, erat subiectum rarissimi & ancipitis hujus experimenti.

LXXX. Huic scil. Excell. Dn. D. Muzell scabiosum Ichorem inoculari iussit in brachiis & pedibus. Ab ipsa operatione ægrotus non movebatur, sed *secundo* ab operatione die pulsus auctior digitum tangentis feriebat, *tertio febris crescebat, quæ quarto die ita concitabatur*, ut celeriores pulsum vix unquam observatum fuisse Experientissimus Vir dubitaret. In hoc vigore morbus per 5. & 6. diem perseverabat, inquietudo simul aderat notabilis, anxietas, crebra suspiria, respiratio laboriosa. *Septimo & octavo die calor paulo remittebat, & sudore caput aliquatenus madebat*, sparsim quoque *minimæ* in cute pustulæ *rubræ* apparebant. Nono post operationem die, cum ad illum vocaretur Præn. Dn. D. Toggenburger, loquelam ipsi & rationem rediisse observabat, ad omnia enim sane respondebat; illorum vero, quæ in Nosocomio cum illo acta fuerant, se nescium afferebat, præter quod eorum exacte meminisset, quæ sibi in redeuntis loquelæ momentis acciderant. *Ab hoc tempore cessabat febris, pustulæ sensim exsiccabantur.* Conveniente cibo potuque refectus, *post tres* ab inoculatione *septimanas* sanitati restitutus Nosocomium reliquit, æger olim, nunc sanus.

LXXXI. En Ichor ex scabiei pustulis desumptus, nullo maligno miasmate infectus, sanguini per vulnuscula in cruribus & brachiis inflicta communicatus, brevi vim vitæ superstitis tam violenter stimulare potuit, in subiecto, ubi motus nullo incitamento potuerunt excitari, ubi xxv. grana Tartari emetici pro dosi, vix leviter stomachum subvertere potuerunt, ut febris ardentissima mox accensa fuerit. Quid quæso! eveniret in ægroto, qui motuum exacerbationibus affligeretur?

LXXXII. Scabiosum fermentum nullatenus produxit scabiem, sed exanthematicam febrem! produxit fere eadem, saltem



saltem gradu majora, quæ sequuntur exanthematum quorumcunque retrocessionem! Nonne eadem expectanda erunt ex insitione Achorum?

LXXXIII. Produxit febrem satis violentam, ab ipso insitionis momento incipientem, in dies crescentem! cum miasma variolosum ut plurimum per septem dies delitescat quietum, quasi dormiens; Nonne Ichorem ulceris chronici majoris periculi sequelas ipso varioloso miasmate producere in aprico est? Nonne per experientiam evicta sunt, quæ suspicatus sum §.LXXV.?

LXXXIV. Si itaque experiri unquam Achorum insitionem voluerit medicus, dehortor quemvis, ne in ullo alio ægroto periculum faciat, quam in tali casu, in quo salus unica expectanda erit ex violenta febris artificiali accensione; in tali, inquam, in quo deficiunt motus; in tali, in quo medicamenta illis stimulantis imparia sunt.

T A N T U M!

